

www.e-rara.ch

P. Ovidii Nasonis poetae Sulmonensis fastorum libri VI

Ovidius Naso, Publius

Basileae, anno 1550, mense Martio

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-133905>

Epistola Nuncupatoria

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



Nima est amica amanti. si ea abest, nullus, est: Si adest, res nulla est, ipse est nequam, & miser: inquit poeta uetus argute simul, & uere. Sic enim res habet in illo impuro et caeco amore. Noster aut ille amor castus, uidentisq; tantu abest ut aut nihil faciat esse id, quod amat alter in altero, ut etiam quiddam sit honestissimu simul, & fructus & iucunditatis plenissimu: adeo non facit nos miseros, cum aut corporu etiam, quod semel tantu adhuc est factum, aut literaru (patiaris haec a me coniungi) oculis mutuo nos inspicimus, & utrorumque ore colloquimur, ut beatos potius nos, & excitatores, ac alacriores efficere uideatur. Sic enim est comparatu inter homines, ut saepe satietate et fastidium pariat perpetua praesentia reru etiam praestantissimarum. Et hoc nisi esset, cur Lacedaemonij statuissent in sua repub. ut nec una semper essent coniuges: & primates apud nos adhuc in usu id haberent, ac praeterea non ita facile cuilibet aditu ad se facerent, nec semper amicis, & raro uenirent in publicum? adeoq; nimia familiaritas contemptu parere, uulgo etiam diceretur? Quamquam aut in hac re modum non seruant, ut etiam in alijs, plerunq; tamen adeo satius est in hanc parte peccari, quam in illam, ut etiam brutus amor sua quaedam interualla postulet: imo sint aliquando, Amantiu irae amoris integratio, ut ait Comicus: & alibi addat, inimicitias, bellum, pleriq; aut & uerbera. Sed hoc interest inter hunc & illu tamen, ut alter, si est optimae notae quasi, ex intuitu uirtutu, & rerum praeclaru in natura concilietur, & retineatur: ac ideo non caeco impetu rapiatur, sed ratione, ac iudicio regatur. alter ex corporum aspectu, & beluinarum uoluptatum appetitione: ac ideo nec modum norit ullum, nec rationem. Et quidem neuter, ut fabulati sunt non tantum poetae, sed etiam philosophi nonnulli, Deus est. Quanto ille uerius, & simplicius,

ὅτι ὁ ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἐστὶν ἄριστος, καὶ ὁ δὲ ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου ἐστὶν ἄριστος; quod nos olim utcunq; sic reddidimus,

Namq; Amor haud deus est, sed caecae agitatio mentis. Quamquam aut & amicitiarum non est unu genus, ego tamen ita mihi persuasi, nostram coniunctionem ex honestissimis tanquam fontibus emanauisse: idq; magis pro tua parte. quam pro mea. Cum enim uel sermonibus aliorum, uel scriptis quibusdam nostris incitatus, putares & uirtute aliquam, & doctrina esse in me non prorsus contemnendam, non tantum comendare, ac tradere mihi moribus & doctrina ceu fingendum uoluisti, quem ex tuis consanguineis haberes propter indolem et spem, quam de se praebere honestissimam & amplissimam cepisset, charissimum: sed ipse tantum iter etiam cum eo conficere, ut eo facilius apud me obtineres, quod esses petiturus, mecumq; notitiam contraheres, & amicitia praesens cum praesente incohares, & confirmares, non dubitauisti. Quod etiam ita sane cecidit, ut non tantum ego animaduertens in te singularem quandam erga me beneuolentiam tibi gratificarer, et si praeter institutam hic meae uitae rationem, sed etiam ab eo tempore nec tu, nec meus auditor Bohuslaus tuus cognatus & amare me, & magnifacere desieritis: & hoc ambo cum antea saepe, tu Praga, ille uero Louanio, tum nuper etiam datis literis clarissime testati estis, nec id sine manifestis humanitatis officijs, quae a uobis nulla certe uestra utilitas, nullum commodum exprimere admodum potest, cum ego uobis hac parte longe magis indigeam, quam uos me possitis unquam indigere. Sed hoc amor uester, & uelut pietas quaedam in ea studia, quae sunt optima, & pulcherrima, facit, hoc idem in studium uirtutis. Non potest enim fieri, ut, qui uirtutes, ac liberalem doctrinam colit, non amet una, quos putat aut idem facere, aut his nonnihil esse pra alijs praeditos. Quantum autem uos mihi tribuatis, ne quidem patitur meus pudor exponere: sed literae uestrae, ac apud multos non obscuri sermones, ut sunt huius quoque rei magna testimonia, copiose testantur: ac fortasse breui declarabit factum longe praestantius, & illustrius. Haec de uobis. De me uero nihil possum dicere, nisi nec honestatis, pietatis, religionis, & optimaru quarumq; artium studium unquam defuisse mihi, quantum uincunq; sum adsecutus. Hoc fortasse uos putatis alicuius momenti, quod ipse conatus etiam, & studium sint rarum quiddam his perditissimis temporibus. Ego uero sum contentus laboru, & studij conscientia: nec de profectu, nisi trepidè, ne quidem cogitare audeo, nedum sine rubore dicere. Quamquam autem et uobis hoc poterat sufficere, non tamen dubito, quin habeatis alias quoq; rationes uestrorum in hac re consiliorum. Sed, ut ut est, cum nulla sit in rebus humanis perfectio, magna laus est uel umbram uirtutis & sapientiae comitari, colere, obseruare, & magnifacere. Ac sane rex noster facit persapienter, quod sic te, mi Ioannes, amat, res tibi tantas committit. Si enim usquam rerum publicarum gubernacula, & frena iudiciorum, ut sic dicam, tuto sunt, ac salui communi recte seruiunt, & profunt: apud sapientiam, uirtutem, ac harum obseruatores, qui soli norunt hoc tanquam depositum non fallere, tuto sunt. Utinam uero & alij principes omnes, ac reges hoc sequerentur, hoc facerent, & curarent, adeoq; semper huius Hippocratici meminissent, & uerissimum esse nihil dubitarent, καὶ ὑποθέσειν ὅτι ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἐστὶν ἄριστος, καὶ ὁ δὲ ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου ἐστὶν ἄριστος. Nam ita fieret proculdubio, ut & ipsi magis diligentiam nauarent sapientiae

tiæ doctrinis, & minus tribuerent potentia, consilijs & eruditioni plurimū. Tibi certè, Hodionisce, maiores olim tui non frustra pepererunt piscem illum, quem habes in tuis imaginibus: nec uidetur hic mihi tantum esse præmiū, & testimonium uirtutis, & fortiter ad Mediolanum, ut audio, traiecti fluminis, & rei bene gestæ apud Imperato rem: sed etiam industria futuræ in posteris, & amoris in uirtutem, & honestissimas artes, uelut præfagium, aut uaticinium quoddam. Quis enim ignorat, eos qui talibus commendationibus carent, neq; natæ, neq; didicisse lite ras dici? & iactatur apud Græcos hic uersiculus,

Ἐστὶν Βαδίσω, νεῖν γὰρ δὴ ἐν τῆς αἰῶνος.

Et quid natæ uerius, quàm piscis? Intelligis meam, credo, sententiam. Hoc autem uobis optimè, ac honestissimè ac cidur. Quid enim est nobilitas, quæ doctrina & uirtutibus caret, ut sæpe nunc habet res apud nos: quàm non Si leni Alcibiadis, ut aiunt, sed uel Myronis, & Praxitelis colossi, uel parietes, & sepulchra dealbata, imò uelut pe stilentissimum quoddam remedium? Quòd si possent res humanæ ferre tantum bonum, & ut seruos ac liberos, magistratus & subiectos nasci, Plato & Aristoteles, adeoq; sapientissimi quique sentiunt, utq; habet natura, & olim usus apud ludæos aliquando, & alias nationes habuit, sic etiam haberet usus de nobilitate, multi nunc essent nobiles, qui sunt ignobiles: & ignobiles multi, qui sunt nobiles. Mirum uerò non etiam hoc fecisse homines, ut ar tifices propagarentur ex artificibus proceris à proceris, humiles ab humilibus, formosi à formosis, deformes à de formibus, aut potius nulli deformes. Hoc magis mereretur laudem, si uirtutem & industriam, ex uirtute ac indu stria possent producere. Sed hoc non disputo, quòd non probem ordines in genere humano: sed ut cogitent no biles, ac sciant, minimè se dignos honore maiorum suorum, qui non sunt exculti uirtutibus & rerum honesta rum studio, cum solius propriæ uirtutis præmium sit honor proprius, non parentum, non maiorum: nisi, cum sumus orti ab iisdem parentibus, aut sumus nobiles, aut ignobiles omnes. Præterea non puto familiarum excel lentiam constitutam esse ad licentiam, ferociam, & impunitatem, cædes, & latrocinia, sicut multi re ipsa de clarant sibi esse persuasum. Hoc diligenter à cunabulis doceri, ac moneri sæpe debebant omnes, oriundi ex ta libus familijs: ac utinam esset pœna etiam à legibus in degeneres constituta. Sic fieret, ut & parentes in insti tutione maiorem adhiberent curam: & liberi non tam darent operam, ut retinerent imagines, ac titulos, quàm ut ne parentum industriam & uirtutes amitterent. Sic debebat etiam in Scholasticis honoribus & titulis fieri, ac profectò & hic res bene habebit nunquam, tantisper dum præferentur tituli, etiam inanissimi, ut nunc sit planè, ac sæpe cum aperta pernicie Rerum publicarum, sedulitati, & doctrinæ. Quæ (malum) est insania, cum sint gra dus nauatæ fortiter operæ, ac doctrinæ commendatio potius publica, & testimonium, quàm aut dignitas, aut ius docendi alios, cum plures docuerint in Scholis, & ecclesia, nunc etiam diu sine titulis, quàm cum titulis: maiori bus Academijs tamen exceptis, quæ nec sine causa iustiore, si aliàs nihil fuisset peccatum, aliquanto fecerunt hæc in parte rigidius: quæ sic habentibus rebus, inquam, est insania, nomen doctrinæ pluris facere, quàm doctrinam, adeoq; uanissimorum ac auarissimorum testium uerbis rem contrariam, quæ tantum non palpatur, postponere? Taceo uix decimum, aut uicesimum quemque talium docere, sed aut quæstum facere, aut saginare uentres nomi num splendore. Sed impetus quidam, & uexæois illa, non cæca prorsus, ut opinor, me longius abduxit, præter e tiam propositum. Boni consules igitur meum studium, & ardorem, ut etiam ex animo sincero, & optimè affecto erga honestatem, & liberales artes, profecta sunt hæc omnia. Certè non ex maledicendi libidine, ut quidam su perbisissimi, & iactantissimi sophistæ, ac poetastri, & semidupondij musitant aliquando inter se. Tanto etiam liben tius hæc addidi, quòd nuper ad me scripsisti, firmam spem esse, futurum breui, ut Academia Pragensis melius con stituatur, seu dotetur, & locupletetur, ut non obscure tu loqueris, uocatis eò uiris doctissimis, à quibus regatur. Ad hoc enim tam honestum & pium institutum non paruum habebit momentum, si curaueritis, ut solius uirtutis & eruditionis in titulis conferendis, ac distribuendis honoribus, dignitas & gradus obseruentur: non sunt uenales hæ res, nihil generi, nihil gratiæ, nihil cæteris commendationibus tribuatur, cum nihil etiam huc pertineant. Si enim, cum rem bene gessit quis in hostem, non tantum ornatur elogio, commendatione, ac testimonio sui ducis, aut im peratoris, aut in republica magistratum, sed etiam præterea munus accipit, imò consequitur præmium: quare, qui studijs literarum, & honestissimis doctrinis felicem & strenuam dedit operam, hæc emeret, non ut donum, aut præmium acciperet à Republica? Mirum uerò, si hæc non debet suis ministris mercedem, & paterfa milias debet. Posse quidem hoc magis, nemo dubitat. Quanquam hic facillè nonnihil concederem, si tenuio res, qui haberent iustam eruditionem & probitatem, non minus curarentur, quàm ij qui rempublicam nu merando iuuare possunt, in alendis professoribus doctrinarum: nisi quòd seruari deberet modus, ut etiam est quidam constitutus in iure pontificio: Magis igitur opus erit liberalitate regia, diligentia præfectorum, & uoμοφυλακῶν superiorum, & inferiorum integritate, quàm legibus, aut nouo iure. Hoc opus, hic la bor est, præsertim cum & Pontificatus, Episcopatus, Imperia, Regna, & ipsum non raro cœlum sit uenale: nec ul læ constitutiones penè honestiores, ulli canones, leges ullæ grauiores, quæ tamen feruntur, & sumptibus infinitis aliquando,

aliquando, & expectatione maxima obseruentur: ne dicam in prouerbum abiisse nunc, Italicos iurifconsultos et medicos dicere, se pecuniam accipere, ac remittere a finos in Germaniam. Quanto esset melius, nullos titulos esse, quam hoc modo esse? Si non poterunt omnia præcaueri quæ turpia sunt, & obtineri quæ sunt honesta: opera tamen detur, ac Deus aderit conantibus. Accedo nunc ad finem epistolæ. Diu cogitavi, cum haberem aliquot opuscula, quæ dudum flagitauerunt editionem, uelut manumissionem quandam, & uellem esse meum erga te amorem illustriorem, nec desineret me Bobuslaus ad aliquid sub tuo patrocinio publicum faciendum incitare, quid nam tibi nuncuparem possumum. Visæ tandem sunt hæ Annotationes ad libros Ouidij de Tristibus, cõmodissimæ ad hanc rem esse, non tantum quia te scirem esse rerum poeticarum studiosissimũ, sed etiam quod nihil esset aliud hoc tempore ad emissionem satis paratum, & ego festinarem in declaranda erga te mea beneuolentia conspectiore aliquo testimonio. Dabis igitur hoc & amori nostro, & huius poetæ laudibus, adeoq; tuo studio, quod est maximum, in tales res: ut quod feci, gratum esse tibi sinas: & eam curam in defendendo, si opus erit, præstes, ut sentiant & mali & boni, inimici & amici, fauere te ac bene uelle Amerpachio, sicut proculdubio facis, & ego hactenus minime obscuris tuis uerbis et factis nec semel sum expertus. Quod si cum utriusq; fieri commodo posset, corporibus etiam propius aliquando cõiungi nos, & frui mutuo conspectu, mihi tanto futurum esset iucundius, quanto uehementius absentem nunc desidero, etsi mente intueor te frequenter: ac tecum etiam colloquor, non tantum per literas: nec dubito, quin tu idem facias, nec sis unquã passurus, ut à me quicquã te alienet. Porro, quàm sit hoc utile doctoribus & discipulis, in legendis & explicandis bonorum autorum scriptis, non tantum fontes præcipuarum partium rimari diligenter, sed etiam ordinem, & singulorum argumentorum, & exornationum initia uenari, ac uelut robur eorum quoddam: quod ego spero me in hoc Opere magna ex parte, ac diligentius aliquanto, quam in explicatio nibus librorum de Ponto, præstitisse, nec satis à me dici potest, nec intelligi à quoquam, nisi qui rem usu & exercitiatione sit expertus. Vale, mi suauissime Ioannes, ac saluta meis uerbis officiose Arcis administratorem, V. C. Datum Ingelstadij, pridie feriarum Natalis beatissimæ Virginis & matris Christi
S. N. Anno P. S. M. D. XLVIII.

EXPOSITIO PRIMI LIBRI DE TRISTIBVS OUIDII, PER VITVM Amerpachium.

ARGVMENTVM OPERIS.



Notum est, non solum utilem, sed etiam liberalem, & necessariam propemodum lectionẽ poetarum, atq; poeticæ cognitionem, & doctrinam esse in omni genere disciplinarum, idq; multi magni uiri ueteres & recentiores, grauibus argumentis probauerunt, ne dicam ab ipsa experientia clarè hoc demonstrari. Nihilominus tamen his temporibus inueniuntur, & grauissimæ quidem, si dijs placet, ac sanctissimæ doctrinæ Theologiæ professores, qui putent poetarum, & ipsam eorum facultatẽ ad eod non prodesse moribus & pietati, ut obsint etiam: & hoc ideo maxime, quod unum aut alterum uident hac arte, seu exercitiatione parum bene uti. Belli uerò homines, qui propterea putent rem honestissimam, & laudatissimam reiiciendam esse, quod nonnulli non, ut debent, utantur ea. Quasi uerò non plurimi sint abusi, & quotidie abutantur non tantum alijs optimis artibus, uerum etiam Theologia, sacris literis, & quo nihil est sanctius, ipso Dei nomine. Quare hos in Anticyras ablegemus, aut in aliũ si quem norunt cum Democrito, mundum: ac irrideamus potius, quam cõfitemur tam crassam & ineptam stultitiam. Quanquam aut digni erant graui obiurgatione, ac opus habebant fortasse adolescentes ad hanc rem uberiore quadam animi confirmatione, tamen rectius mihi uideor facturum, si aut alijs hoc faciendum relinquam, aut in alium locum & tempus commodius differam, ac ipsum opus hoc Ouidij Tristium, ut inisti tui, tractare & explicare incipiam. De Tristibus autem est factum nomen operi, quod in eo de suo exilio, & eius incommodis, ac miseria conqueratur potissimum Ouidius. Id quod facit mira uarietate, ac inimitabili fœlicitate, summaq; suauitate in media fortunæ acerbitate: opere distincto in quinque libros, & singulis libris in epistolas quasdam, secundo excepto, in quo tantũ una est ad Cæsarem Augustum epistola. Sic enim etiam rectè appellari existimo. Dissimulauit aut in alijs nomina illorum ad quos scripsit, ne, si nomina posuisset, eis apud Augustũ, aut eius amicos noceret: ac aliud nihil differt hoc opus à libris de Ponto, nisi quod Poeta in illis amicorum nomina posuit, hic non posuit, sicubi potuit ponere. Quod autem sit ab Augusto in exilium pulsus, manifestius est quàm ut dici debeat. Porro de causa exilij, in ipso poemate quantum satis est ac sciri potest, indicatur.

EXPOSITIO